



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 25. Æthiopiæ Regis Legatus ad Papam missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

§. XXV.

*Æthiopiæ Regis Legatus ad Pa-
pam missus.*

*Raynald hoc
anno n. 62.*

Tandem summus Pontifex a crebris, quos hæretici in Europa suscitabant, tumultibus respirare cœperat, dum Legatus nomine Claudii Æthiopiæ Regis damnato Dioscoris schismate, rursus ad Romanæ Ecclesiæ obsequium rediit. Hic idem Claudius, qui Davidi Patri suo successerat, a summo Pontifice Viros Apostolicos, qui ejus subditos Christianæ fidei præceptis imbuerent, sibi submitti, ac Presbyteros institui rogabat: quapropter Paulus III. hunc Legatum, qui Paulus nomine Prior erat Monachorum Æthiopum, summis honoribus excepit, simulque ex ipsis Regis literis percepit, quod alius quidam Deputatus jam aliquot abhinc annis a Claudio fuerit Romam decretus, ille autem in itinere vitam finierit. Postea Pontifex huic Priori valere jussu tradidit Diploma Æthiopiæ Regi deferendum, in quo his verbis utebatur: *Summopere gavisi sumus, Deoque gratias egimus, quod literas tanti, & tam remoti Christiani Regis, nobisque & Apostolicæ Sedi devoti nostro tempore nobis recipere concesserit: ex eis igitur*

ma-

maxima inprimis sumus lætitia affecti, quod te claræ memoriæ Davidi tuo Genitori in Regno Æthiopiæ successisse cognovimus, nimirum ex fama tuæ probitatis conjicientes, & sperantes, quod tu sicut in Regno, ita & in vera Religione erga Deum, devotioneque erga Apostolicam Sedem tuis Progenitoribus succedes, de quo haud dubia nobis signa in eisdem literis dedisti, ex quibus certam in spem adducti sumus, te haud minore studio, quam illi fecerint sanctam fidem Catholicam, & veram Christi Religionem in istis regionibus propagaturum esse: ad quod sane tuam Serenitatem patero affectu hortamur: nos vero, cum proxime, Deo concedente, missuri sumus via maritima ad partes tuis Regnis vicinas aliquos Viros probitate & doctrina conspicuos, & ad instructionem Christianæ fidei aptos, tunc eodem adjuvante Domino dabimus operam, ut tuam Serenitatem etiam per nostrum, & Apostolicæ Sedis Nuntium visitemus, teque, & tua Regna, ac populos tibi subiectos illis spiritualibus gratiis consolemur, quas tunc idem Dominus nobis inspirare dignabitur: interea vero ipsum Paulum Priorem cum his nostris literis ad tuam Serenitatem remittimus, quam Dominus Omnipotens & in præsentī vita prosperare, & in futura cælestibus præmiis decorare dignetur. Datum Romæ vigesima tertia Augusti, anno millesimo quingentesimo

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

Sæcul. XVI. *simo quadragesimo quinto, & anno undeci-*
A.C. 1545. *mo Pontificatus nostri.*

§. XXVI.

Poyetus Franciæ Cancellarius con-
demnatus.

Daniel hist. Paulo ante Guilielmus Poyetus Can-
de France cellarius, cujus alibi meminimus,
t. 5. vie de condemnatus est. Is prius non nisi Ad-
François I. vocatum Andegavi agebat, postea ve-
p. 717. & seq. ro favente Ludovica de Sabaudia Re-
 gis Matre Parisiensis Præsidis munus
 & insignia (*) accepit, ac demum anno
 millesimo quingentesimo trigesimo octa-
 vo Cancellarii dignitatem aucupatus est,
 cum vero auctoritate sibi concessa ad ex-
 plendam tyrannidem, ac innumeras fer-
 me exactiones inique extorquendas ab-
 uteretur, propter tam sceleratam agen-
 di rationem, ac perversam administra-
 tionem crebro ad Regem deferebatur,
 hinc

(*) Hoc officium a Gallis vocatur *la Char-*
ge de President au Mortier, hoc autem nomen
 idem significat, ac quoddam capitis ornamen-
 tum, sive nigram largamque ac rotundam vit-
 tam, quam Parisiensis Curia Præsides deferunt,
 hoc autem insigni ornati incedere, duntaxat
 octo Curia Senatoribus permittitur, qui vo-
 cantur *Præsidents au Mortier*.